



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Floremundi Raemundi V. Cl. Olim Consiliarii Regis
Galliarvm Ex Calviniano Catholici Synopsis Omnium hujus
temporis Controversiarum tam inter Lutheranos,
Calvinistas quam alios plurimos. Sive Historia ...**

Raemond, Florimond de

Coloniae Agrippinae, 1655

IV. Inquisitio, & ad quid instituta.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10880

pellatur, ob fructus quos sancta Catholica religio affert.

IV. Etsi vero duo illa quæ jam recensuimus Iustitiæ tribunalia ad pacis & Catholicæ religionis in Hispania conservationem plurimum attulerunt adjumenti, non minus tamen utile fuit Inquisitionis munus; quod veluti firmissimus agger, fœdissimam hæreseos cluvionem coercuit. Quia vero tam odiosè à nonnullis Inquisitio hæc traducitur, formam procedendi quæ in ea observatur, describere operæ precium mihi videtur. Inquisitionis origo non ad Lutheri, sed ad ea tempora refertur quibus Saracenis à Ferdinando Aragoniæ Rege devictis, in Hispania vivendi certis conditionibus permittitur licentia, ut nimirum certum persolverent tributum, atque interim religionis causa vis eis nulla inferretur. Bello confecto, & barbaris illis subjugatis, dictus Rex imperium suum ita constituendum sibi existimavit, ut Ecclesiæ dignitati ac saluti simul prospiceretur; atque in primis damnabiles superstitiones eradicarentur. Doctis ergo quibusdam viris negocium dedit in ea quæ ad Religionem pertinent inquirendi, & cavendi, ne Judæi vel Mahumetani, quorum adhuc ingens erat in regno numerus, zizania sua disseminarent. Hæc conservandæ Catholicæ religionis diligentia tam ipsi quam successoribus Catholici nomen ac decus peperit; quamvis nonnulli titulum hunc Alphonso Galaciæ regi à Papa Gregorio III. tributum ferunt, eo quod regnum suum Arriana hæresi purgasset. Tum temporis *Iacobini Monachi* (quorum ordo à Dominico Hispano Caliguritano, Lexoviensis dioceseos institutus fuit) in tanta erant existimatione, ut Rex Catholicus in omnibus quæ ad religionem pertinent; eorum staret iudicio: quod illi magna severitate exercebant, In Catalonia enim regno, instituta contra Albigenes inquisitione, ossa Arnaldi Castelboni & Ermolyns de Bronicende filiz, qui avus fuit Rogerii Bernardi Comitiss Foxiensis, effodi atque exuri, ac cineres in aerem projici jusserunt, quod hæresis crederentur fuisse participes. Sed res tota Anno M. C. D. XXV. per Cardinalem Petrum Consalvum Mendozam, Sixti IV. Pontificis interveniente auctoritate, fuit composita. Et hi quidem primi fuerunt Inquisitionis auctores; sed quia devictis Saracenis severius aliquando illa contra Judæos & Mahumetanos fuit exercita, origo ad Ferdinandum refertur. Hæc jam olim à Papa Sixto IV. & Rege

confirmata fuit, circiter Annum M. C. D. LXXV. ob innumeras nequitias quas Judæi in contumeliam Christianæ religionis committebant: eademque postea Luthero dogmatizare incipiente, anti-quæ conservandæ religioni magno fuit adjumento, atque obstitit, quominus tam ipse, quam alii novarum sectarum conditores in Hispaniæ quoque regnis novam Babylonem, ut in Polonia, Germania, Bohemia, Anglia & Belgio exadificarent. Ejus vero hic est ordo & processus. *Quicumque hæreseos suspectus fuerit, ab officario quem Familiarem vocant, coram Inquisitoribus comparere jubetur. Nulla hic fuga, nulla dilatio. Nihil factus, liber dimittitur, constituto tamen Coryceo qui omnia ejus nihil tale cogitantis dicta & facta observet. Si quidquam Romane Ecclesiæ contrarium in eo animadvertatur, Inquisitorum jussu comprehenditur, & iudicio sistitur. Illud vero notatu dignum est, quod tam contra accusatorem quam reum diligens habetur questio, utrum scilicet vir bonus sit; ac præcipue num inter ipsum & delatum inimicitia intercedant. Sed & quem Familiarem vocari diximus Officiarius talis eligitur qui in iis quæ ad religionem pertinent inculpatus, & qui à quarto gradu usque tam paternam quam maternam cognationis è Christiana prosapia sit ortus. Audito ac dimisso reo, Provisor, seu Vicarius, vel Diocesanus vocatur, & ad eius relationem accusatus vel liber pronuntiatur, vel in vincula conjicitur. Fugientem Alguazil seu licitor Inquisitionis persequitur; itemque Hermandatus seu Fraternalitas, de qua supra: tantoque major hic adhibetur diligentia quanto fugiens majoris est auctoritatis & conditionis. Capta bona omnia consignantur; damnati, confiscantur. In his omnibus administrandis Iudices summam adhibent integritatem: qui omnes opulenti sunt, & ab avaritia aut corruptionibus alieni. Ut vero leves ac temerariae accusationes impediatur, si qui falso aliquem aut per invidiam accusasse deprehensus fuerit, severe puniatur. Captivis omnia præter vestem auferuntur. Vbi ostiduum circiter in carcere desederit, à custode carceris monetur ut à Iudicibus audientiam petat: qua impetrata, ab iisdem monetur, suppresso interim accusatoris nomine, ut culpam sua sponte fateatur, promissa, si id fecerit, impunitate; & contra terrore mortis ob oculos posito. Si nihil factus fuerit, in carcerem reducitur; ac deinceps iterum atque iterum iudicio sistitur, utque sua conscientia rationem habeat, monetur. Si omnibus artibus nihil ab eo exculpi queat, crux & Missale apportantur: super quibus juramentum facere recusans, statim damna-*

damnatur. Iuratus, non tamen statim absolvitur, sed in finis quaestionibus, de patria, amicis, &c. urgetur. Vbi nihil fateri eum Iudices volent (qui enim bene instructi sunt, numquam seipsum accusant, nec prius loquuntur quam ea quorum accusantur intellexerint) tum accusationem ei aperiunt, testium tamen aut delatorum nomina reticent, de quibus divinare magis ex privatis inimicitis quam certi aliquid scire licet. Inde Procuratorem seu Advocatum sibi eligit, qui ab eo informatus, ad singula respondeat: quod melius est quam si e vestigio respondere cogatur.

Duo testes fide digni atque irreprehensibiles, ad rei damnationem sufficiunt, non tamen semper, praesertim si de capite agatur: prator vero, apud quem captivi aservantur, solus sufficit; unus tamen testis ad torturam non sufficit, nisi certas conjecturas aut alias graves habeat rationes. Postquam diebus aliquot reus de testibus seu delatoribus conjecturam fecerit, productus Inquisitores interrogat: num ab his vel illis inimicis scilicet suis, sit delatus. Quamvis autem testium nomina divinare aut scire non possit, aliis tamen rationibus purgare se potest, nimirum si probaverit se cum Ecclesiasticis habuisse amicitiam, observasse praecepta Ecclesiae, dies festos, jejunia, Missas audisse, &c. cetera quae haeretici impugnant, obiisse. Ad haec producenda novem dies integri reo conceduntur. Exploratis omnibus, Inquisitores, qui sunt Ecclesiastici ordinis & Theologi, de fide responsa examinant: quibus si innocentiam illi suam sufficienter probaverit, absolvitur, non tamen sine dura aliqua poenitentia, si metus aut suspicionis causa adhuc subsistat; si quoque in carcerem ducitur donec de fide eius plene cognoscatur. Quod si ex ore eius nulla probatio extorqueri possit qua vel ad condemnationem vel absolutionem sufficiat, tortura res agitur, quae in Hispania fideiculis tantum fit aut aqua, etiam quodcumque ob delictum. Sed & supplicia ibi non tam atrocitas sunt, ut in Germania, Gallia, & Italia. Haeretici igne puniuntur. Cetera suppliciorum genera quae rota, corporum dissectionibus in quatuor partes, eorum distractionibus, &c. fiunt, Hispaniae ignota sunt. Ad incutiendum vero terrorem, reus cum vicario suo in locum subterraneum, horrore plenum ducitur, ubi iam ante Iudices consederunt. Interim carnifex nigro habitu ac tecta facie, spiritus infernalis specie, ei occurrit, & ad Iudices abripit: qui precibus & minis ab eo contendunt, ut ultronea confessione tormentorum dolores redimat. Nihil fateri volentem, Iudices carnifici torquendum tradunt. Si quaestione hac quoque nihil ab eo exprimat, infinita alia artes illaqueandi hominem adhibentur. Subor-

nantur qui haeresis causa se quoque captivos simulant & familiariter cum ipso conversantes, omnia eius dicta & facta observant. Vbi certis argumentis reus haereseos convictus fuerit, igni adjudicatur: sicque flava tunica, in qua diabolorum horribiles species pictae sunt, (id genus vestis Sambenit vocant) induitur, & pileo ad turricula instar, in quo homo ardens, & diabolus capiti eius insidens, ita dem pictus cernitur, ad supplicium educitur, epistomio prius ori inserto, ne ad populum loqui possit, si obstinatus maneat; si vero confessus fuerit & ante sententiam de se latam, poenitentiam egerit, incredibili omnium gaudio, poena expiandis ipsius delictis imposita excipitur. An ulla justior aut lenior haeresin, quae tantopere Mundum afflixit, coercendi ratio excogitari possit? Quod si quis institutum hoc cum iis legibus quas haeretici in locis imperio suo subiectis de religione tulerunt, comparaverit, Inquisitio multo illis tolerabilior videbitur. Id si cui dubium est, videat, quae so, quam multa crudeliter passim ac nefarie haecenus, ac praecipue quam primum emergere coepit haeresis, patrarint. Quot rapinae, quot caedes ab ipsis sine ulla inquisitione, sine ulla iudicii forma designatae sunt: ut ipsis Arabibus & Mauris deteriores merito videri debeant. Quid quod solum sacerdotis nomen in multis iusta supplicii causa visa fuit? quod ipso Christo Domino nostro sacerdote in aeternum, haud dubie clam supplicio iidem persequuntur.

V. Inquisitio porro ejusmodi ob justitiam Franciae ita placuit, ut ipso effectu ab ea fuerit recepta. Et quidem Edictum illud Romorantinum, a privato Regis Consilio omnibusque Franciae Parliamentis approbatum, haeretici Hispanicam Inquisitionem nominarunt, ut in quo de haeresi quaestio ad praelatos tantum & Ecclesiasticos remittitur, omni de ea cognoscendi potestate saecularibus Iudicibus adempta; & omnes alterius quam Catholicae religionis exercendae causa instituti Conventus, laesa Majestatis crimine condemnantur. Sic enim Edictum habet:

Ut vero secreta ejusmodi conjurationes in lucem protrahantur, mandamus sub iisdem poenis ut omnes qui quoquo modo coacti fuerint aut consenserint, statim rem omnem Iudicibus aperiant, & reorum sive complicitum nomina deferant: quo in casu bona fide & sub verbo regio impunitatem reis, non reus vero, quingentas libellas Turonenses, e damnatorum bonis confiscatis ante omnia solvendas, promittimus. Omnes etiam Pradicantes, qui a Praelatis aut iis qui eius rei potesta-